Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8454
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

uite ad uitam aliis odor mortis ad mortem.
Cum enim ea que superius dicta sunt fidelium
mentibus predicando infundimus tunc super cordis
altare canistrum euacuamus et ea que in eo re
posita fuerant in odorem suauitatis incendi
mus. Hoc enim odore et deus placatur et ad quos
cumque odor iste peruenerit in eo delectantur. Hec enim
oblatio domini est. Unde psalmista Immola
deo sacrificium laudis. Cum enim predictum canistrum
super idest super fidelium mentes effunditur cum liber
exponitur cum sacra scriptura predicatur tunc
sacrificium laudis deo immolatur. Cum igitur sacer
dotes dei tale sacrificium offerunt cum populum predi
cant cum fidelium mentes accendunt et incendunt
tunc cum oblationibus suis odor suauissimus
domino fiunt. Sequitur.

Sumes quoque pectusculum de ariete quo
initiatus est Aaron et sanctificabis illud
eleuatum coram domino et cedet in partem suam.
Sanctificabis et pectusculum consecratum et armum
quem de ariete separasti quo initiatus est Aaron
et filii eius cedentque in partem Aaron et filio
rum eius iure perpetuo a filiis israel. quia primi
tiua sunt et initia de uictimis eorum pacificis
que offerunt domino. Aries enim quo initiatus
et consecratus est Aaron hic est de quo usque
modo locuti sumus. Cuius pectusculum et armum
Aaron suscipit quoniam episcopi et sacerdotes omnium
consilia in pectore et omnium peccata super hu
meros ferre debent. Qui enim tot animalium pecto
ra armosque comedunt eos et sapientes et for
tes et ut ita dixerim pectorosos et amorosos
esse oportet. Ideo enim uobis episcopi et sacerdotes et
pectora dantur ne locus uobis desit in quem dei
thesaurum reponatis. Habetis autem et armos ut
toti esse pondera potentes ferre ualeatis. Sed
uideant sacerdotes qui et armos et pectora
sanctificata comedunt ut et armos et pectora san
ctificata et iusta habeant. Sanctum enim pectus sancta
eruptat et super sanctos humeros non ascendit
iniquitas. Hec autem inter primitias computantur
et ideo sacerdotum sunt. quia omnes primitie
sacerdotibus a populo dantur.

Uestem autem sanctam qua utitur Aaron ha
bebunt filii eius post eum ut ungantur
in ea et consecrentur manus eorum. Septem die
bus utetur ea qui pontifex pro eo fuerit constitutus
de filiis suis et qui ingreditur tabernaculum
testimonii ut ministret domino in sanctuario. Et
Uos enim estis episcopi et sacerdotes filii Aaron
si tamen Aaron imitamini et Moysi fratres estis. Illius
utique Moysi qui ait Narrabo nomen tuum fratribus
meis. Uos igitur habetis uestem Aaron uos glo
ria et decore omniumque uirtutum ornamento induti
estis. Uos rationale et superhumerale habetis.
Uos sancti spiritus gratia uncti estis. uestreque manus ad christi
corpus et sanguinem conficiendum omneque bonum
et honestum agendum sunt consecrate. Uos enim in
septem diebus hac ueste utimini quoniam omnibus die
bus ea utimini et numquam ea expoliamini. Non
enim sunt dies nisi septem. Quod igitur septem
diebus fit. omni tempore fit.

Arietem autem consecrationis tolles et coques
carnes eius in loco sancto quibus uescetur
Aaron et filii eius. Diximus enim per hunc arietem
apostolorum omniumque martirum multitudinem intelli
gi. Horum autem carnes comedunt episcopi et sacerdo
tes eorumque filii. Non sicut illi de quibus dicitur
quia comederunt Iacob. Apostolorum enim et martirum nos
carnes comedimus quoniam ipsi sunt panis noster ipsi
sunt refectio nostra. eorum exemplis uiuimus. eorum
doctrina nutrimur. eorum sermonibus et orationibus
saturamur. Horum autem carnes coquimus in loco sancto.
quia eorum scripta doctrinam et exempla in corde fideli
meditamur et sana intelligentia ruminamus.
At uero heretici non coquunt has carnes in loco
sancto. quoniam in sterquilinio heretici cordis cuncta
mala intelligendo depravant. Eorum igitur exempla
sequamur quorum pane saturamur. Sequitur.

Panes quoque qui sunt in canistro in uesti
bulo tabernaculi testimonii comedent ut
sit placabile sacrificium et sanctificentur offerentium ma
nus. Comedimus iam carnes arietis come
damus et panes qui sunt in canistro. Utrorumque
enim cibus bonus est et ad comedendum suauis.
Audiuimus enim apostolorum et martirum uitam et doctrinam.
Audiamus et ea que in hoc canistro idest in hoc
libro continentur. Audiuimus noua audiamus et ue
tera. Bonus enim ille est qui profert de thesauro
suo noua et uetera. Hos autem panes in uestibu
lo tabernaculi et in loco sancto comedere debemus
quos non demus sanctum canibus nec spargamus mar
garitas ante porcos. In loco sancto comedamus illos
in conuentu fidelium eos expendamus comedamus
et exponamus. Quare hoc. Ut sit placabile sa
crificium ut nomen dei non blasphemetur nostrumque
ministerium non uituperetur et sanctificentur offerentium
manus. Si enim recte offeras et non recte diui
das. peccasti. Sicut enim uidendum est quid of
feras et cui offeras. ita etiam uidendum est ubi